



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Capitvlvm II. Innouamus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

cem inter Christianos Principes, quatenus id possibile est, constituant.

Aduerte, quod induciæ aliæ conuentionales sint, & aliæ legitime, seu per legem aut Superioris præceptum constitutæ. Conuentionales inter gentium iura numerantur in c. ius gentium, 9. d. 1. Nam omnium gentium consuetudine, secundum naturalem æquitatem constitutum est, vt etiam hosti fides data seruetur; cum alioquin humani generis societas consistere bene non potest, licuti dixi lib. 2. tr. 3. c. 12. q. 5. Per legem constitutæ induciæ sunt, quæ hoc c. numerantur. Verum per diuturnam consuetudinem his inducijs dudum derogatum fuisse, aut fortasse constitutionem istam nunquam receptam fuisse, monet Gl. communiter recepta, hic, ver. frangere, & videri hic potest Abb. n. 4.

NOTANDVM II. Ad Episcopos potissimum spectat, vt pacem inter Christianos, quatenus id possibile est, constituant: cum charitate, & pace nihil præstantius, & ad animarum salutem magis necessarium sit. Videri possunt, quæ Gratianus concessit d. 90.

CAPITVLVM II.

Innouamus.

PARAPHRASIS.

Presbyteri (seu Clerici) Monachi & eorum Conuersi, item peregrini, mercatores, rustici, viatores, & in agricultura existentes, animalia quoque, quibus arant, & semina portantur ad agros, plena securitate gaudent,

SVMMARIVM.

1. *Persona hic recensita debent plena securitate tempore belli gaudere, scil. persona Ecclesiastica, peregrini, mercatores, & agricola.*
2. *Mercatores tamen & agricola suis bonis spoliari possunt, si aliter pax & victoria obtineri nequeat. Interdum etiam deuastatione agrorum puniri subditi possunt & debent, si tanta sit alicuius Communitatis peruersitas & contumacia, vt malum hoc necessario remedium opus habeat.*

Inter personas hic numeratas quedam non sunt partes Reipubl. nocentis, cõtra quam iustum bellum offensiuum geritur, videlicet personæ Ecclesiasticæ, ac peregrini: Et hæc bonis suis spoliari non possunt, multò minus in corpore puniri; cum nec per se ipsas iniuriam intulerint, vt ponimus, nec per accidens, seu ratione Reipubl. nocentis, cum eius partes seu membra non sint. Quædam verò personæ sunt partes Reipubl. nocentis, vt mercatores, & agricolæ; & his parcendum est propter publicam necessitatem, ne commercijs & agriculturâ impeditis, maius incommodum inferatur.

Interdum tamen licitum esse dictas personas bonis suis spoliare, si aliter victoria & pax obtineri nequeat, tradidi in lib. 2. tr. 3. c. 12. q. 3. dicto 3. Interdum verò tanta alicuius Communitatis peruersitas est, & contumacia, vt quibuscunque modis, etiam deuastatione agrorum, puniri subditos eius licitum, imò necessarium sit: præterquam, quod ipsi etiam interdum mercatores, & agricolæ personaliter nocentes, idcõq; puniendi sunt, Vide quæ dixi eod. c. 12. q. 1. & 3.

